

Multi conantes ad te redire, neque per se ipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc, et inciderunt in desiderium curiosarum visionum, et digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quaerebant doctrinae fastu, exserentes potius quam tundentes pectora, et adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui conspirantes, et socias superbiae suae potestates aëris hujus, a quibus per potentias magicas deciperentur, quaerentes mediatorem, per quem purgarentur; et non erat. Diabolus enim erat transfigurans se in angelum lucis (2 Cor. 11, 14); et multum illexit superbam carnem, quod carneo corpore ipse non esset. Erant enim illi mortales et peccatores, tu autem, Domine, cui reconciliari superbe quaerebant, immortalis et sine peccato. Mediator autem inter Deum et homines, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis, longe esset a Deo, aut in utroque Deo similis longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. Fallax itaque ille mediator, quo per secreta judicia tua superbia mereretur illudi: «Unum cum hominibus habet, id est, peccatum; aliud videri vult habere cum Deo, ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortalis se ostendet; sed quia stipendium peccati mors est, hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnetur in mortem.»

CAPUT XLIII. JESUS CHRISTUS, IDEM DEUS ET HOMO, VERAX ET EFFICACISSIMUS MEDIATOR.

Verax autem mediator, quem secreta tua misericordia demonstrasti humilibus, et misisti, ut ejus exemplo etiam ipsam discerent humilitatem, mediator ille Dei et hominum homo Christus Jesus, inter mortales peccatores et immortalem justum adparuit, mortalis cum hominibus, justus cum Deo; ut quoniam stipendium justitiae vita et pax est, per justitiam conjunctam Deo evacuet mortem justificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem.